



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

Ad habentes curam animarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

retur Deut. 17. *Quicumque non exaudit Sacerdotem morte moriatur.* Unde Samueli dicit 1. Reg. 8. *Non respereverunt sed me.* Et ratio potest esse ex Ambr. lib. 3. de Virginibus. *Ubi ergo Christus quaritur? in pectore prudentis, id est, Sacerdotis.* Angelus est Sacerdos. Greg. hom. 7. *Utinam non ad iudicium nostrum dicamus, quia omnes qui Sacerdotis nomine ceſſentur, Angeli vocantur Malach. 1. Labia Sacerdotis &c.* Sed & Angeli ministrant Sacerdoti. Ita scribit de S. Ghryſoſtomo S. Nilus Epist. ad Anastas. Episc. *Joannes Sacerdos Ecclesie Constantinop. videbat domum DEI refertam Angelorum cœtu & tum inprimis cum Divinum & incruentum Sacrificium offerebatur. Cùm capisset Sacerdos Sanctum Sacrificium, plurimæ statim ex beatis illis virtutibus de cœlo descendentes, stolis induta splendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis prona, Altaro magno cum silentio & reverentiâ, quoad venerandum illud mysterium exploratum fuit, circumsteterunt. Deinde huc illuc per totam Domum diffuse, Episcopis, & Presbyteris & Diaconibus distributionem corporis & pretiosi sanguinis administrantibus adhererunt, satagentes & sedulo adjuvantes.*

Ad Curam habentes Animarum.

DEScribit Ezech. 11. malum Pastorem Dominus. *Sunt tibi vasa Pastoris stulti, pro pastorali gladium, pro esca venenum.* Et ibidem addit. *O Pastor & idolum derelinquens gregem, gladius super humerum ejus.* Talis pastor erat Cain Gen. 4. *Nunquid ego sum custos Fratris mei? Custos es qui curam suscepisti Custos quid de nocte? dum alii velut in nocte dormiunt in peccatis tu Clama, ne cesses, quasi tuba ex alta vocem tuam, si non clamaveris, anima tua erit in periculo si quæpiam anima perierit nullius te autoritas deterreat ne contingat quod*
scribit

scribit S. Greg. Pastoral, p. 2. c. 4. *Sæpe Rectores animarum improvidi humanam gratiam amittere formidantes loqui liberè re-
tâ pertimescunt, & juxta veritatis vocem, nequaquam jam gre-
gis custodia Pastorum studio, sed mercenariorum via deserviunt,
quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Isai. 56.
Canes muti non valentes latrare. Sed non frustra Act. 2. in
primos Pastores Spiritus S. in specie linguarum descendit.
Non frustra in lege Exod. 28. Mala punica in vestibus jungebant
voci concordiam, Greg. l. c. quid enim prodesset lingua clama-
re, & clamorem moribus retractare? Idem planè fieret ac-
que si quis diceret alteri veni ad me, interim à se lapidibus
repelleret, portam clauderet. Interea dum clamat, dum re-
prehendit, ex corde am et. Greg. Moral. 26. c. 5. *Sancti Do-
ctores dum hoc agunt, dum arguunt, increpant, charitatis amo-
re se viunt, non inflatione elationis intumescunt, mori enim pro ip-
sis parati sunt, quos quasi usque ad mortem se vientes affligunt.
Primò dicendum est Pax huic domui. Filii Zebedæi petebant
fulmina mitti in Samariam, non sunt exauditi. Sed de qui-
busdam quæritur Greg. hom. 17. *Cum regiminis jura suscipiunt,
ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent,
& quibus prodesse deberent, nocent: & quia Charitatis viscera non
habent, Domini videri appetunt, Patres se esse minimè recogno-
scunt. &c. Non ita res tractanda quam Christus dignam suo
sangvine æstimavit. Pergit Greg. de quibus veritas dicit Matth.
7. *veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem lupi sunt rã-
paces. Dicebat Propheta. O Pastor & idolum. Vis adorari ut
idolum, & gregis curam non habes. Pastor in una Provin-
cia, grex in alia. Tantùm te agnoscunt Pastorem, cum mer-
cedem Pastoris recipis. Greg. l. c. *Sed quid nos, quod tamen
sine dolore dicere non possumus, quid nos ò Pastores agimus? qui
mercedem consequimur, & Operarii nequaquam sumus. Fructus*****

B

quidem

quidem S. Ecclesia in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro aeterna Ecclesia in praedicatione non laboramus. Pensamus enim cuius damnationis sit &c. Vide homilias per octavam S. Adalberti E. M. Contractu nos quodam obligavimus, Fideles dante nobis bona, ut pro illorum peccatis satisfaciamus, quid si nec pro suis aliquis satisfaciat? quid si qui placare DEUM debet pro alienis, irriter propriis? Pergit Greg. Veniet, veniet profecto illa dies, in quo Pastorum Pastor appareat, & uniuersaque facta in publicum deducat, & qui modo subditorum culpa per Praepositos ulciscitur, tunc Praepositorum mala per semetipsum seruiens damnet. Onus curae animarum descripsit Job. 26. Ecce gigantes sub aquis gement. Juxta Apoc. autem aquae populi sunt. Sed potest contingere quod populo Israelitico Exod. 15. ut sicco pede per maris medium transeat. Eccl. 11. 43. Cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. Dum intret ovile Pastor ostiario illius Spiritu S. aperiente & si plures ad DEUM adduxerit Greg. epist. 27. Aversionis culpa (quisquis peccat graviter, à DEO avertitur) nulli imputatur, qui revertens, lucrum animarum à se conversarum reparat. Bona ipsa & proventus in animarum bonum impendendi non in vitia, ne simile quid dici possit illi Ambrosiano lib. 5. epist. 29. De Christianorum censu reedificabitur Iudeorum Synagoga, ut sit locus in quo Christus negetur. Erit locus perfidia de exuviiis pietatis factus? Pretio quod datum est pro redimendis peccatis ementur peccata? Christus vobis animas concedidit. Bern. epist. 4. Magna res anima quae Christi sanguine redempta est videte quâ curâ servanda est. Aug. in Pl. 102. O anima tanti vales! Bene Christus animam à se redimi suo cruciatu toto putavit, hanc pastori custodiendam tradit ut illam lucretur, daemone nova subire supplicia non refugit, nam quociens animam deducit ad damnationem nova illi poena accre-

accrescit. Salvian. *Qui furor est viles à vobis animas haberi, quas etiam ille vobis canas se habere dicit dæmon, qui viles facere conatur? quas etiam diabolus putat esse preciosas? ac per hoc quicumque animas negligunt, etiam infra iudicium diaboli illas amant.* Sed veniet, qui dicit. *De manu vestra sanguinem animarum requiram. In aleis vestris in vanitatibus vestris, est sanguis animarum.* Templum vobis suum concedidit DEUS, curam illius habete. S. Ephrem lib. de Iudicio. *Anima habens in se Deum, templum DEI est, & sanctum, & purissimum. Divina etiam mysteria celebrantur in ea, & Angeli & Archangeli lætantur in ea & frequenter visitant eam, quia habitante DEO in anima, Angeli festinant honorare eam utpote templum DEI effectam.* Quis nollet cooperari ut hæc læticia impleat Angeles? ut DEUS in templo tuo sedeat? & quâ pœnâ dignus esset si hoc negligeret, cum ad hoc faciendum se obligaverit & quidem accepto precio? quid si etiam suâ culpâ, pravo exemplo, ex hoc templo DEUM exturbaverit? Qui non pavit esurientem, non vestivit nudum &c. Damnatur, licet ad hoc solum ex communi charitate fuit obligatus: quid ille, qui non pavit animam &c. Et ad hoc se obligaverit specialiter? Non accipiebat tantos proventus Paulus qui pro animabus, in mortibus frequenter &c. qui optabat esse anathema pro Fratribus. Itô plurima, ab illis passus: Chrysoft. hom. 7. de laud. Pauli. *Dum Paulus vincens per vastum pelagus ad Cæsarem ducitur ita gaudet tanquam in maximum ducatur imperium, etenim non parvum ulli præmium, urbis Romæ conversio proponebatur.* S. Ignatius Soc. JESU Fundator dicebat. *Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim DEO inservire & proximorum saluti, quam certum ejusdem gloria statim mori, & tamen neuter horum juraverat curam animarum. Si damnatum posses ex inferno reducere, an negligeres? leves pœnæ inferni*

respectu peccati ex quo animam potes educere. Si Fratrem tuum posses resuscitare à mortuis, an nolles? Chrylostom. 4. hom. 4. *Mortuam animam instaurare, excellentius est, quam corpus.* Et rationem dat Aug. de verbis Dom. Serm. 44. *Corpus vita redditur iterum casura, anima nunquam destituta.* Ex hoc concludit Greg. 3. Dialog. c. 17. *Plura est conversio Pauli Christum persequenti, quam suscitatio Lazari quatriiduaui.* Præmium hujus laboris est ingens. Misereris aliorum misereris tui DEUS, qui in eadem mensura remetietur in quantum mensus fueris. S. Hor ab Angelo hæc audit, ut est in vitis PP. *Quantoscunque in hac vita positus converteris ad salutem, super tantos principatum accipies in futurum.* Qui negligit animas, reus est sanguinis eorum, ut à contrario patet ex verbis S. Pauli. Act. 20. *Contestor vos hodierna die quia mundus sum à sanguine omnium non enim superfugi quò minus annuntiarem omne consilium DEI vobis.* Greg. Pastor. parte 3. Legitur Apoc. 22. *Qui audit, dicat veni ut nimirum ipse cui se vox interna insinuat, illuc etiam, clamando, alios, quò ipse rapitur, trahat: ne clausas fores etiam vocatus inveniatur, si vocanti vacuus appropinquat.* Ilai. 6. *Va mihi quia tacui.* Prov. 11. *Anima que benedicit impingvabitur, qui inebriat ipse quoque inebriabitur.* Crescit enim in nobis virtus & devotio dum alios ad illam incitamus, Greg. l. c. in hæc Ilai. *Qui exterius prædicando benedicit, interioris augmenti pingvedinem recipit, & dum vino eloquii mentes Auditorum debriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit &c.* Moyses illos denunciavit à parte DEI existere Exod. 32. *qui delinquentium scelera incunctanter ferirent &c.* Si ergo ille DEI dicitur qui ad ferienda vitia zelo Divini amoris excitatur, profectò se esse DEI denegat, qui in quantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat.

Ad